Quelle: http://manuscripta.at/?ID=392
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

sed nominavimus istum Osium ad demonstrandum quod primitus ecclia in illo fa
mosissimo Concilio Niceno ubi ecclia orientalis et occidentalis erat / fuit
Episcopus Castellanus presidens

Solucio secunde Racionis

Ad secundam racionem ut clarius respondeamus / oportet etiam etiam dividere particulas
ne perdamus confuse et videtur illa racio presupponere quatuor fundamenta
primum est latitudo regni / secundum fertilitas terre / Tercium multitudo gencium
Quartum opulencia diviciarum Et revera mirandum est quod domini Anglici as
sumpserunt talia fundamenta in favorem suum contra hyspanos Cum ma
nifestissimum sit quod pocius faciunt pro hyspanis Et si aliqua eorum omisi
allegacione supra proxime in principalibus allegacionibus / hoc certe fuit non
quia nobis non habundabat allegaciones huiusmodi / sed quia putavi illa in
digna esse ut pro fundamentis assumeremus ut statim dicam Ad omnia
ergo hec Respondeo sic Ad primum intelligendo / dico enim quod in triplum vel
forte amplius est lacior terra regni Castelle quam regnum Anglie
non repeto hic probacionem quia supra probavi in tercio articulo disputacionis
Nec obstat quod dicitur de Insula hybernia et aliis Insulis quam hic de reg
no Anglie tractamus Nam dominus meus rex habet in mari occeano octo
Insulas et forte plures que omnes coniunctim appellantur canarie / sed
tamen quelibet habet nomen proprium Nam alia dicitur Insula lanceloti /
Alia Insula ferri Alia canaria magna Alia fortis ventura et similes
que sunt magne longitudinem et latitudinem / sed non adducimus eas
hic ad augendam terram nostram / sed dumtaxat ea que sunt in hyspania
principaliter tamen etiam omnibus Insulis coadiunctis Regnum Anglie non posset
aliquo modo equari longitudini et latitudini Regni Castelle Et Ad
secundum fundamentum respondeo quod quanto differencia sit inter fertilitatem
Castelle et fertilitatem Anglie nullus est qui ignoret / sed tamen ego
nolui allegare fertilitatem in hac materia quia michi remotissima et infirma
allegacio visa est Non enim de agricolis sed de nobilissimis regibus loquimur
Nec enim fertilitati agri sed virtuti viri honor debetur ut in principio dispu
tacionis edixi / quid ergo ad rem facit fertilitas terre / tamen non depingere
dominos agrorum sed de virtute virorum disceptamus Sed quia ipsi fertilitatem adduxe
runt contra nos / ego reducam contra eos ut pugione suo iuxta Ieronimum ut
Golyas confodiantur Et an sit fertilior terra Castelle quam terre anglie
non inducam instrumenta tabellionum / nec petam compulsoria ad tripiedes
testes in partibus Sed quoniam ut veritas ait in ore duorum vel trium stat omne
verbum Math xv Et legiste dicunt quod regulariter sufficit numerus duorum